



~~VI. 35.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
*VI-35.*  
SIGNAT. cioloCCCXIII.





Tunc vestra chartis nomina inscribam meis,  
Tradamq; seris hæc legenda posteris.

ILSIS meæ decus perenne Patriæ,  
Sylvæ beatæ, Prata, Rura & Hortuli  
Valete vestri summa vatis gaudia.

Abire mens est: Leucoris suum mihi  
Pandit sinum, promittit & Camœnulis  
Tranquilla nostris ocia: Hic hinc molliter  
Vivam, labella fontibus purissimis,  
Qui perfluunt vireta Parnasi jugi,  
Rigabo, & artibus vacabo liberis  
Studijsq; sacris, donec id sinent, meum  
Quibus laborem consecro, pia Numina.

ILSIS meæ decus perenne Patriæ,  
Vosq; o beatæ sylvulæ vosq; Hortuli  
Beatiores, vos VALETE & CRESCITE.

IV.

AD R. E T C L. VIRVM D N. M. IO-  
NAM NICOLAI, Pastor. Amford. &c.

Quando te Patrijs, Colende semper  
IONA NICOLAI, tui Parentis  
Post fata ultima viserem sub oris,  
Hanc nostris memini auribus sonasse

B

Vocem



Vocem: Sæpe POLINGE sæpe chartis  
Nos invise tuis, placent, placebunt  
Nobis, quos facis elegantiores  
Versus: nec minus optimè VALENTI  
Arridet tua vena, qui Patronum  
Se promisit, & ipse non recuso,  
Si sic fata dabunt benigna, verbis  
Ceu scriptis precibusuè, si egeat res,  
Mecœnatibus inclytis Polingum  
Commendare, juvare, promovere.

Hæc lætissima vox meas ut aures  
Percellit, subito viam bicollis  
Ducentem ad juga summa montis omni  
Conatu ingredior, meumq; tento  
Os sacri fluvio rigare fontis:  
Sed factum malè, mi Patrone, primo  
Mox in limine substiti misellus,  
Offendiq; pedem. Quid at? resurgens  
Pergo viribus omnibus, sed cheu  
Me quando altius evehunt labores,  
Parnasus citò clauditur bi cornis

Mirabar, quia tale quid Polingo  
Nunquam evenerat, & simul dolebam,  
Quòd votis, Reverende vir, nequibam.

Respon-



Respondere tuis: sed ecce rursus  
Accedo, manibus foresque clausas  
Pulso fortiter & repulso, verum  
(Enarrare nimis, nimis molestum est)  
Post pulsus mihi mille concidere  
Manus. pro hominum fidem Deumque,  
Quid nunc accidit? hei quid accidit nunc?  
Sic contraria tam repente facta  
Nobis Numina sunt jugi sacra?  
Sic ergo patiar miser repulsam?  
An vero redeam? minus probabis:  
Contra Numina namque dimicare  
Nec fas nec facile est. Sinam ergo, donec  
Sors nobis fuerit magis benigna.

Hæc est causa, quod hætenus tabellas  
Non ullas tibi miserim, ut decebat,  
IONA ô Dimidium mei. Voluntas  
Non mihi defuit, at negare vires  
Vatum Numina Phœbus & Minerva.  
Ergo respice strenuum piumpumque;  
Conatum, nec ob id precor Poëtam  
Aversato tuum, sed ut prius me  
Dilexisti veluti pium clientem  
Patronus, decorasti & insuper, deinde

B 2

Sic



Sic & diligere & velis juvare,  
Meccenasq; mihi manere semper:  
Si placatus Apollo, si Minerva  
Aequa rursus erit mihi, tabellas  
Missitando tibi obsequar libenter.  
Imo Te super astra laude ducam,  
V A L T I N V M q; meum canam perennè,  
Vestram & perpetuis notabo gratus  
Laudem, Nomina, Gloriam pagellis.

Sed cantasse sit hæc satis, novena  
Dum me turba aliò vocat Sororum.  
Liquo tecta paterna, liquo Amicos,  
Et te I V L I A liquo: Te saluto  
Te gressu V V I T E B E R G A non morante  
Nunc peto: V V I T E B E R G A clara Musis,  
Sedes sacra celebrium virorum.

Salve urbs inclyta laudibus vehenda,  
Salve docta Senum corona, salve  
Doctorum pia turba, quæ juventæ  
Exemplo, arte præis, piaq; vita:  
Vos salvete etiam novi sodales,  
Quos syncerus amor mihi fidesq;  
Iunget candida: Vos videre coram  
Quàm nunc quàm cupio? Faveto Numen,

Et



Et duc me incolumem tua sub umbra,  
Ne quis latro mihi nocere possit,  
Nec me imber retrahat, calor nec ardens  
Offendat tenerum caput Poëtae.

Tu IONA interea ó Amice IONA,  
Ingens qui decus artium vocaris,  
Cum Consorte VALETO Filiaq;  
Servatoq; memoriam POLINGI.

V.  
*AD PRÆSTANTISS. VIRVM*  
*Dn. VALTINVM HORTLEDERVM Me-*  
*cœnatem suum. &c.*

Vix dum charta sonum ceperat edere,  
Surgebantq; novæ carmina Barbitos,  
Sic dextram remorata

Dixit Calliope mihi :

Quid tentas ? iterum quid miser incipis ?

VALTINONÈ cupis mittere literas,

Quem non infima moles

Curarum premit undiq; ?

Annè illum legere hos versiculos putas ?

Aut si fortè legit, suspicio occupat

Mentem, & dictitat illi,

Non venâ fluere hos tuâ ?

B 3

O Vatem



O vatem, miserum qui tibi jam diu  
Persuasisti animo, nomina te pij  
Vatis promeruisse,  
Et partem esse sacri chori:  
Nunc omnis tua spes concidit: optimus  
Mecœnas, voluit cui tua maximè  
Semper Musa probari,  
Pertenvem tibi habet fidem.  
Aut ergò studium hoc relinquere fas erit,  
Aut uti numeris simplicioribus,  
Sicut claudicet unus  
Aut pes alter in ordine:  
Has sic literulas perleget ut tuas  
HORDLEDERVS habens carminibus fidem.  
Tu sed rere Polinge  
Vates quando vocaberis?  
Dixit Calliope, deinde nec amplius  
A me visa fuit. Pectora turbidus  
Consternit mea mœror,  
Et cum voce cadit manus.  
Sed tandem ut removet nubem animi dolor,  
Hæc tristi ore sono verba: Quid impedit  
Quin Phœbæa canoræ  
Iam plectra abjicam lyræ?

Est



Est vanus meus hic, irritus est labor,  
Patronus quoniam Maximus omnium

Aut non perlegit, aut hæc

Credit carmina non mea.

Vnde at proveniunt? quis mihi suggerit

Vis, dicam? Genius dicitur hæc meus,

Et curæ atque labores

Me vatem faciunt graves.

Ergò verte animum, verte animum precor

O VALTINE, mei gloria Carminis,

Atque hæc, atque priora

Quæ scripsi, accipe ceu mea.

Non fallax latet hîc fucus: Amor pius

Et nostrum studium, quod placido indiget

Meccenate, suadet,

Quicquid scribimus, edere.

Annos jam tenuit IVLIA me SCHOLARUM

Ternos: Terquè meum (Te puto candide

HORTLEDERE) Patronum

Ornavi numeris pijs.

Speraram tenui ex pulvere patilulum

Meccenatum opera sic potuisse me

Ad majora levare,

Sed spes vana fuit mea,

INUNC



Nunc nunc terra capit me Vvitebergica,  
Terra optata diu, Tot, celebris, viris,  
    Servans ossa L V T H E R I  
    Nec non busta M E L A N T H O N I S.

Vos sacrata voco Numina, vos precor,  
Salvum Leucoreæ sistite me Scholæ,  
    Nostros atque labores  
    Vestrum dirigite ad decus,  
Fortunasq; meas ne finite obrui:  
Patronos etiam sufficite optimos,  
    Sub quorum requiescant  
    Musæ subsidio meæ.

Hæc fundo lacrymans, & subito meis  
Hæc ex æthere vox insonat auribus:  
    Perge ô perge Polinge,  
    Nec ceptis studijs time.

Patroni haud deerunt Principe Numine,  
H O R T L E D E R V S adest Fautor amabilis,  
    Est & Fautor I O N A S,  
    Quos Amfordia continet.

Horum præsidio, quicquid erit, feres,  
Et cum laude aliqua non poteris tuam  
    Non deducere spartam,  
    Et sic sine frui bono,

Hæc



Hæc vox illa sonat, fitq; silentium  
Sub cœlo tacitum. Num dubito tua  
De mente inclyte Fautor?

Num ceptis timeo meis?  
Patronus mihi sis, gratus ero Cliens,  
Memet promoveas, rursus & æthera

HORTLEDERE movebo  
Famà & nōminibus tuis.

VI.

AD REVERENDVM ET CLA-  
rum virum Dn. IOANNEM POLINGVM,  
Past. Veltheimens. Patrum suum  
cariss. &c.

Dilectissime Patre  
Nummos, fasciculum, scriptaq; Filio  
Transportanda mihi attulit  
Herbis cum sapidis foemina rustica,  
Iam, quod fas erit, omnia  
VALTINI manibus tempore perbreui

Reddam, & te referam Patrem  
Cum consorte pia ritè valescere.  
An speret sibi melius?  
An possim quid ei dicere carius?

Numen



Numen quaeso mihi fave,  
Et duc me incolumem Leucoream ad domum,  
Vt Valtino ea nunciem.  
Hæc rescribo gemens, Teq; rogo meum  
Dilectum patrum, mei  
Vt servare velis corde memoriam,  
Et ceu nunc revocas tuum  
Gnatum Leucorea, proh dolor, ex Schola,  
Sic olim quoq; me tuum  
Cognatum revoces Leucoris ex Schola.  
Hoc te oro, rogo & obsecro  
Consortemq; tuam, nec dubito, meo  
Quin voto dabitur locum,  
Sic te cum placida conjuge Patrum,  
Et cum filiolis diu  
Salvum atq; incolumem provida Numina  
Servabunt, & opes tibi  
Augebunt. Lacrymans hæc precor, annuat  
Votis ter Deus optimus,  
Te veletq; suo præsidio. Vale

VII.

AD REVERENDVM ET DOCT. VIRVM  
Dn. SEBASTIANVM VVernitium, in patria verbi Dei  
ministrum &c.

Cras



CRas quia constitui NIVEVM conscendere MONTEM,  
Sedemq; nostris commodam  
Ibi locare Musulis,  
Propter te propterq; alios, Reverende, sodales  
Paucis paravi ferculis  
SEBASTIANE cœnulam.  
Ergo cum rutilo ostendit sua lumina cœlo  
Vesper rubens, & tertiæ  
Auditur ictus horulæ,  
Huc ades, & nostræ dignare accumbere mensæ  
Conviva, nec contemnito  
Vatem, POLINGVM, pauperem.  
Si Charites ipsæ veniant, vel Magnus Apollo,  
Non gratior quisquam mihi  
Erit tuâ præsentia.  
Hoc verò nostrum si concelebrare negabis  
Convivium, videbitur  
Carere Amico maximo:  
Non aliter quàm si careant connubia Sponso,  
Vel absque fiant virgine,  
Sic nostrum erit convivium.  
Sed nunc Hesperias Phœbus descendit ad undas,  
Hora & dat ictus tertia:  
Veni, parata cœnula est.

C

2

Ecce



Ecce venis: tibi quid Vir docte rependere possum?  
Dabo perennes gratias  
Et te Patronum diligam.

VIII.

*AD R. ET D. VIRV M D N. HIERONYMVM BARDENIVM Past. V Vinningstad.  
Poëtam clarum & Compatrem  
honorandum &c.*

FRater HIERONYME omnium carissime,  
Et Compater honorabilis,  
Cum Iunij lux orta erit vicesima  
Octava, patrios focos  
Linquam petens Lycaea Vvittebergica.  
Hinc cor dolet, moeret animus,  
Ocelluli flent, quòd mihi non amplius  
Tuâ frui præsentia  
Licebit & ceu mos fuit, peramabilem  
Te convenire Comparrem.  
Quare ô colende frater oro & obsecro  
Per Apollinis dulcem lyram,  
Per quicquid unquam in me tibi carum fuit,  
Per quicquid in nova domo

Dulce



Dulce est tibi: per Apollinem tenerrimum,  
Per unicam tuam Charin  
Obtestor, ut die priore me velis  
Adire, tecum & Conjugem  
Cum Liberis & Musulis adducere.  
Pauca quidem sunt fercula,  
Sed erunt joci facetiaq; plurima.  
His lacrymas addam meas,  
Et sic tibi sodalibusq; caeteris  
Sonabo postremum VALE.  
Ades tuoq; Amiculo solamina  
Da quaeso, dum mens tristis est,  
Lugesq; quod sic cogimur disjungier.  
Hei quantus, hei quantus dolor  
Nunc pectus occupat meum? O Sodalium  
Quater meorum Maxime  
Te coram habere, te semel adhuc cernere,  
Tibiq; colloqui expeto.  
Veni, dole, mecumque fletus fundito,  
Abire cogor, asperum  
Sic praecipit Fatum, Sed a te corpore  
Quo longius recessero,  
Tanto tibi semper animo propinquior  
Manebo. Sic statuas, velim.

Dolco

C 3

Ad



*AD PRÆST: IVVENEM DN.*

*JOACHIMVM Sebandum Amicorum*

*amicissimum &c.*

**A**mande Frater, pectus, os, ocellule,

Dum lacrymans, gemens, trahens suspiria

Linguet POLINGVS cum Sorore & Fratibus

Matrem, Patrem, nec non sodales optimos,

Quid? virginem quoque fulgurantem & auream

Non amplius licebit intuerier.

Te lacrymans, gemens, trahens suspiria

Orat POLINGVS, ut velis sub vespere

Primo, sonante turri in alta tertia,

Aedes paternas ad volare, & cœnula

Fruui, pijs quam præparavit candida

Mater sodalibus, cupit quæ filium

Mulcere, miseras & fugare lacrymas,

Dum triste cras sonandum erit, Vale, Vale:

Te te SEBANDE, te intimum voco, huc ades,

Solare quæso amiculum dulcissimum:

Puella deserenda, deserendus es

Ipsè, ô Amice suavis, hoc hoc unicum

Dolco

bA



Doleo, quòd haud deinde fas erit tuos  
Audire sermones, amores cernere.

O virgo cara, ò illibate floscale,  
Te propter unicam gemisco, & insuper  
Tot fundo, quid? pudet referre, lacrymas.  
Sed sic volunt, Fatum, Parentes, Musulæ,  
Vale ergò virgo, virgo plurimum vale.

Nunc flete Musæ, flete mecum Gratia,  
Abit Polingus, at manet puellula.  
I L S I S soror, si quas tenes sub viscere  
Telluris undas, funde, funde, & littora  
Excede, sisq; testis haud leuissimi  
Mœroris: Huc testes Amici accurrite,  
Flevisse me propter pudicam Amandulam.

Sed hæc satis: prodest parum luctus: juvat  
Animo virili ferre quicquid evenit.

At tu SEBANDE ades, cibus & utere  
Frugalibus, poclisq; non tam splendidis  
F uere, boniq; si deërit quid, consule,  
Hoc lacrymans, gemens, trahens suspiria  
Orat P O L I N G V S ille dilectissimus  
Frater, tuumq; pectus, os, ocellulus

BA



X.

AD DOCTIS S. IUVENEM DN.  
CONRADVM STEINIVM Scholæ Patriæ  
Moderatorem &c.

Insignis pietate & arte STEINI  
Horneburgiacam scholam gubernans,  
Audi quid cupiat tuus POLINGVS  
(Qui cras patria tecta, qui Parentes,  
Et quoscunq; colit coletq; Amicos  
Linquet Leucoreum petens Lycæum)  
Vult, quando nitidum occulet caput Sol,  
Tertiæquè sonabit ictus horæ,  
Ut conviva velis subire nota  
Patris tecta sui, fruique cœna  
Quam mater pia candidis Amicis  
Non lautis, fateor, cibus paravit.

Haud multis ego poculis Lyæi  
Te urgebo madidus, facetijs sed  
(Si sic lachrymulæ sinent fluentes)  
Hoc sub vespere suavibus replebo.

Quare sollicitas relinque curas,  
Si tenvisquè tibi placet paratus

Dicto



Dicto tempore limen ad Parentis  
Nil est currere velle sed volato,  
Et vocem accipito ultimam, VALETO.

XI.

*AD INSIGNEM FVVE-*  
*nem Dn. HENNINGVM Grotocordem,*  
*Amicum integerr. &c.*

**H**ENNINGE vates, vive sodalium  
Semper meorum floscule, si placet  
Mecum dole, mecum gemisce,  
Oraq; fletibus irrigato,  
Cogor paternam linquere cras domum,  
Cogor Puellam linquere cras meam,  
Cogor sodales linquere omnes,  
Hinc doleo, gemo, fundo fletus.  
Huc huc adesto, da medicamina  
Tristi Polingo, cordaq; mortua  
Resuscita, solare, tolle  
Pectore quem patior dolorem.  
Instant sorores, atque abitum parant,  
Instant parentes, cedere me jubent,  
At non iubet virgo: Hæc moratur,  
Spondet & oscula & omne dulce.

D

Sed



Sed plus Sorores, plusque valent Patres,  
Ah cede virgo, cede Sororibus,  
Obsiste nec caro parenti,  
Cogor abire, redire spes est.

Et vos Amici quid remoramini  
Vestrum POLINGVM? me finite ingredi  
Durum hoc iter. Sic Fata mandant,  
Propositumque requirit ardens.

Discedo: Amaras fundite lacrymas  
Dulces Amici, currite, currite,  
Solemini flentem Polingum,  
Et recreate animum dolentem.

Tu verò Frater candide, cui dedit  
COR, NOMEN, INGENS, me subito advola  
CUM STEINIO, vobisque coenam  
Consule quæso boni paratam.

Non retrahant te lacrymulæ meæ  
Quas fundo: jungam gaudia lacrymis,  
Facetias tristis ciebo,  
Atque jocos repetam venustos.

Tandem quid addam, proh dolor, ultimam  
Vocem: VALETO Chrysocole mea,  
Valeto Amicorum corona,  
Patria tota diu Valeto.

Ad



Ignis ero, vivusque sciensque sub igne peribo:

Quæ me, quæ flammis eripere hisce potest?

Chrysocole tu sola potes, ni dura negabis,

Dic saltem, Redamo, sic ego tutus ero.

An dicis redamasque? puto, at ne falle Polingum,

Rara est quæ nescit fallere virgo virum.

Fallere si nescis, & ero qui fallere nescit,

At me si falles, falleris ipsa, Cave.

XVI.

## Suspiriorum in patriam ablegatio.

Ite pij gemitus, suspiria pectoris ite,

ILSI subi gelidis HORNBERGAM dividit undis,

Et quid Amicorum dilecta corona meorum

Nunc agat, explore, & vera referte Polingo.

Ite pij gemitus, suspiria pectoris ite,

Et quæ BARDENIVS valeat, quæ carmina fingat,

Quodq; novo sibi Musæum sub tegmine condant,

An quoque adhuc memor absentis sit, cernite, vatis,

Ite, volate, citò & responsa referte Polingo.

Ite pij gemitus, suspiria pectoris ite,

Et quid VVERNITIVS, quid STEINIVS, ipseq; Magnò

Qui de Corde gerit nomen, mea vita, Sodales,

Hi



Hi quid agant, lustrate, an commeminisse Polingi  
Sit curæ: ite, videte, mihiq; ea cuncta referte.

Ite pij gemitus, suspiria pectoris ite,  
Quidq; SEBANDVS agat non ultimus inter Amicos  
Indagate, animo veteres num ponat amores,  
An verò in teneris adamatæ virginis ulnis  
Ludat adhuc: ite & responsa referte Polingo.

Ite pij gemitus, suspiria pectoris ite,  
Et quid, quid volui? quid Amandula blandula, quid-  
Corculum agat, quâ vivat, quiq; ardeat in me, (nã  
Et quonam desiderio tangatur Amantis,  
Cernite, num constans sit adhuc amor: ista referte.

Ite pij gemitus, suspiria pectoris ite, trum  
Quidq; PATER, quid amica PARENS, quid turbaq; Fra-  
Cumq; Viro Soror, & reliqui mihi sanguine juncti  
Rerum agitent, num salva domus, num corpora salva,  
Cernite, & absque mora responsa referte Polingo.

Ite pij gemitus, suspiria pectoris ite,  
Et quicumque favent sincero corde Polingo  
Hos, inquam, salvere diu, æternumq; valere  
Optate: at reliquis, quibus est invisa Polingi  
Fama, magis sanam malesano in corpore mentem  
Orate, orata ad pectus remeate relictum.

In



XVII.

Ad Tumulum

REVERENDISS. PATRIS D.

M. LUTHERI, P. M. veræ Religionis in Ger-  
mania assertoris unici &c.

Sic tandem ad tumulum post tot mea vota precesq;  
Incolumis veni, Magne LUTHERE, tuum?

Et veni & vidi & lachrymis super ora profusis  
Ossa salutavi terquæ quaterquæ tua.

Cur lacrymis, quæris? lachrymas quia poscit anhela  
Religio, casu jam ruitura gravi.

Cur lacrymis, quæris? Lachrymas Discordia poscit  
Doctorum, in dubium qui sacra verba trahunt.

Aurea te vivente simul Concordia vixit,  
Sed cecidit, cecidit te moriente simul.

Quid fiet tandem? Terris ubi nulla superstes  
Religio, CHRISTO judice finis erit.

Finis erit, clangentq; tubæ, vivusquæ resurges  
Care Deo, præsens quem tegit urna, cinis.

Tunc te Sancte Pater cœlesti in luce videbo,  
Tunc vivo vivus colloquar ore tibi.

Rumpe moras ô CHRISTE, sit huius terminus ævi,  
Et nos in regnum transfer ab orbe tuum.

E

Hic



Hic dolor, hic angor, sed erunt pia gaudia caelo,  
Hic lachrymae, ast illic nil nisi risus erit.

XVIII.

AD TUMULUM REVERENDI ET  
Clarissimi Viri D. PHILIPPI MELANTH. Ar-  
tium liberalium & Religionis sincere  
Repurgatoris &c.

TUQUE; o canities salve te: sancta PHILIPP I,  
Salve iterum atque iterum, perpetuumque; vale.  
Cui tot dona Deus dono concesserat uni,  
Cui studijs nemo par erat: hincne jaces?  
Ecce jaces, verum nunquam tua fama jacebit:  
Membra cubant tumulo, Fama per astra volat.  
Fama per astra volat, licet ingens turba strepentum  
Vesparum invideat nomina tanta tibi.  
Si quid in arte sumus, si quid pietate tenemus,  
Acceptum ferimus Docte, PHILIPPE tibi.  
Cum tenebris sordes tu primus ab arte tulisti,  
Et Duce te planum est Relligionis opus.  
Omnibus hoc, nolintve velintve, necesse fateri est,  
Hoc satis atque super scripta diserta probant.  
Inunc Livor edax, sublatum carpe PHILIPPVM,  
Tu tamen huic nunquam par eris arte viro.

Ilia



Ilia si rumpas, Victor tamen ille triumphat,  
Illius & nunquam fama perire potest.  
Sed quid ego moveo manes? DIVINE MELANTHON  
Accipe cum lachrymis, quas tibi spargo, Rosas.  
Tempus erit cum te presentem aspexero præsens,  
Nempe triplex mundi flamma ubi solvet opus.  
Tunc coram assistet, quod nunc in imagine cerno:  
Da finem mundo & labere, CHRISTE, polo.  
Plura vetant gemitus: donec mihi vita superstes,  
Gratus Doctorem te celebrabo meum:  
Sæpius & flenti (fletus quia tempora poscunt)  
Ore salutabo busta, PHILIPPE, tua.

XIX.

DE LVTH. ET PHILIP.

Vt subeo templum, tumulos quod servat opacos  
Magne LVTHERE tuum, Docte PHILIPPE tuū,  
Et lustro picta vestras in imagine formas,  
Talia sublimi Phœbus in æde sonat,  
Hi sunt, quos cernis, Germanæ gloria gentis,  
Nulla quibus parient secla, Polinge, pares.

E 2

In



XX.

*In Hortum amœniss.*

GEORGII ROLLENHAGII S. Magd.  
Rectoris celeberr.

SI quis habet laudes Hortus per Saxonis oras,  
SOLUS ROLLENHAGII nobilis hortus habet.  
Gallia quas profert, quas fundit & Itala tellus,  
Quasq; per Hercyniam Bructerus ipse creat,  
Herbas innumeras, uno cernuntur in Horto,  
Quem fovet in medio Parthenopœa sinu.  
Est suus Arboribus, suus est quoque Vitibus ordo,  
Iuncta stat affini quælibet herba suæ,  
In medio puteus nitido est pro fonte profundus:  
Procreat hinc plures lætior Hortus opes.  
Omnia pulcra nitent: venit at si Cultor ad hortum,  
Omnia ab intuitu splendidiora facit.  
Hic Phœbi, hic Floræ regnum, hic Heliconia Tempe,  
Pollingus nuper vidit & obstupuit.

XXI.

*Ad Bardenium Poët. & Compatriam Hon.*

Quàm melior tua sorte meâ est, HIERONYME, versus  
Tam quoque fonte fluunt de meliore tui.

Palla-



Pallada habes, Charitemq; unam, tibi parvus Apollo  
Forſan habere negas, Te ſed habere probo. (eſt.

Pallas Ieſcha, Charis tibi Filia, Phœbus at infans:

Tu quorum in medio Major APOLLO ſedes.  
Fidere, perge, Deo, & reliquas CHARITESQUE DEASQUE  
Et PHOEBOS plures IESCHA DEVSQUE dabunt.

Crede dabunt: utinam quoque talia credere poſſem,  
Poſſeme quidem, at PALLAS nempe Puella deeſt.

Conſulte in medium SUPERI, & date PALLADA VATI:  
Sic quoque PHOEBVS ero, ſic mihi PHOEBVS erit.

XXII.

*In DVFINAM Hornburgenſem, quæ ex alto  
deridens Studioſos, nominaverat eos,*

*Die warmen Studenten.*

Cur quaſo calidos Muſarum dicis alumnos,  
Improba, nec tales ferre, Duſina, potes?

Cauſa patet, quoniam te circum ventilat ignes,  
Et facibus torret te Citherea ſuis:

Inde refrigerijs opus eſt, non igne. Quid ergo  
Mirum, ſi calidos non benè ferre potes?

XXIII.

*In eandem.*

E 3 Lasciva



Lasciva dum videt Dufina, virginum  
Mores quòd observem malos & impios,  
Taxemq; versibus satis duris, gravi  
Plenam veneno me Lacertam nominat:  
Vnde hoc, rogas? quia ipsa versibus meis  
Ministrat hæc venena, quando perditæ  
Vivens suis libidinosis gestibus  
Et moribus lascivioribus, velut  
Tetris venenis inficit quàm plurim os.  
Hinc nostra quid spirare possunt carmina  
Laudes Dufinæ nobiles cantantia,  
Quàm noxium virus, quod ipsa ex se parit,  
Illudq; nostro suggerit Poemati?  
Hinc me venenatam Lacertam nominat,  
Nostro quia illius laborat carmine  
Fama & pudor, fermequè tota concidit.  
Sed taliter Lacerta nominarier  
Volo libenter, dum venenum, quod tenent  
Versus mei, non officit, prodest magis,  
Talesq; facit ut effugantur bestia,

XXIII.

A L I V D.

Dum gestus describo tuos moresq; protervos,  
Mira Dufina à te dira Lacerta vocor.

Acci-



Accipio: Tibi nam sunt carmina nostra venenum,  
Sed sunt Ruta alijs talia monstra fugans.

XXV.

Cur me inopem mentis vocitat perversa Dufina?  
Est quia mentis inops, Calliopæa refert.

XXVI.

Longum Polingi cur Dufina pallium  
Taxat? quia ipsa nil amat  
Quod est honestatis decentis, hinc meum  
Taxat Dufina pallium.

XXVII.

*De Chryfocole & Dufina.*

Dum Phœbi socios temnit malefida Dufina,  
Lauriger irato sic mihi Phœbus ait:

Quid tam terribiles exardes pronus in iras?  
Desine, non socijs convenit illa meis.

Castâ decet Vates virgo: Tibi spondeo castam  
Scilicet intacto pectore Chryfocolen.

Hæc dives, formosa, pudica, venusta, quid ultra?  
Nempe puellaris lucida stella chori.

Vis dicam, in quantum superet benè comta Dufinam?  
Chryfocole decus est, vile Dufina pecus.

Ad



XXVIII.

Ad Dufinam.

Inunc & calidos Phœbi dic esse sodales,  
Dufina plus quàm fervida:  
Inunc atq; inopem mentis dic esse Polingum,  
Dic & Lacertam, pallium  
Deride: Rursum sat te ridebo superq;,  
Vermemq; dicam pessimum.

XXIX.

*De seipso.*

DVm Citherea videt reprehendi in carmine nostro  
Mores suæ Dufinulæ,  
Idalium adducit puerum, mādatq; sub imo  
Vulnus mihi det pectore.  
Ille assueta capit pendentis tela pharetræ,  
Arcumquè curvat fortiter.  
At remorans dextram Pueri sic fatur Apollo:  
Venus Puerquè parcite,  
Parcite, non meruit noster sibi talia vates:  
Potius coronam necite:  
Nam decus Aonium, nostrosquè tuetur ho-  
Famamquè defendit suam: (nores,

Sunt



Sunt hæc tela pijs, galeæ, clypeiq; Poëtis,  
Pugnare verbo, hand verberere.

XXX.

*Ad Mecænatem suum* V. A. L. T. H. O. R. T.

*conclusio.*

Sic ver' purpureum rosas & herbas  
Profert omnigenas, sed ipse tandem  
Autumnus pyra, poma, turgidasq;  
Vvas procreat. His sapor, sed illis  
Tantum gratus odor subest. Iuventæ  
Sunt hæc dona meæ, nihilquè planè  
Præter Pegaseum afferunt odorem.  
Aetas si mea creverit, piumq;  
Patroni mihi sensero favorem,  
Versus nectareo sapore plenos,  
Et vena quoque cultiore scriptos  
HORTLEDERE dabo. Interim faveto  
Vati quæso novo, illiusquè amorem,  
Quo te prosequitur, diu foveto.

F I N I S.

F

Sequun-



Sequuntur propemptica scripta  
ab Amicis.

ΕΦΟΔΙΟΝ

Quod intimo suo JOACHIMO Polingo V Viteber-  
gam Studiorum gratia abeunti scribebat HIERON.  
Bardenius Pastor V Winningsta-  
densis.

CVR IOACHIME sacros Musarum Ne te per hortos  
Atria luliace deseris alta Scholæ,

Quò te præstantum laudata coronâ virorum  
Insignem potuit reddere ab arte virum?

An tibi cum sacris non sunt commercia Musis  
Amplius & vulgi pars inimica fores?

Annè parandarum rerum malè captus amore  
Vivere posthabito nunc Helicone potes?

Patria alit claras forma excellente puellas  
Tenè trahet mitis sub juga blanda Venus?

Me quoque sperâram victurum carmine quondam  
Quod facili vena dicat Apollo tibi.

Sed nostris hæc nunc votis eventa repugnant,  
Et quàm (me miserum) spes ea vana fuit?

Sic



Sic ego, sic contra præclarus ab arte Polingus  
 Facundo tales reddidit ore sonos:  
 Non ita, Pierias amplector, ut antè, Sorores,  
 Et plus Castalio me nihil amne iuvat.  
 Sed jam profectus causa melioris adibo  
 Proventu doctos uberiore viros,  
 Quos dat inexhausto fulgens Academia cornu,  
 Et fovet in gremio Leucoris ora suo.  
 Quò de longinquis peregrini tractibus orbis  
 Confluit Aonias turba secuta Deas,  
 Et gaudet longos æstivo fidere soles,  
 Et studijs noctes continuasse bonis.  
 Vnde petunt multi patrios cum laude penates  
 Ornati titulis nominibusq; novis.  
 Puniceum studijs vel qui meruere galerum,  
 Vestijt aut quorum laurus odora caput.  
 Hæc loca clara petam cras cum formosus Eoæ  
 Lucifer è gremio Tethyos ortus erit,  
 Hactenus unus amor nobis fuit, una voluntas,  
 Lædere quàm posset nulla querela fuit.  
 Hanc precor, hunc nobis servato fidus amorem,  
 Ipse tui semper commemorasse volo.  
 Marchiaco vati quam nomen amabile Bembi  
 Lumine vitali cum frueretur, erat:

F 2

Et



Et pars quanta sui Dantiscus pectoris olim,  
Pars BARDENI animæ sis quoque tanta meæ.  
Utq; illos coluit, sic Te reverenter Amicum,  
In quacunque licet sim regione, colam.  
Antè quis Albiacæ numerum subducet arenæ,  
Aut numeret vitrei lumina cuncta poli:  
Quàm ventura dies, aut ulla redarguet ætas,  
Immemorem me vel nominis esse tui,  
Sic ait: in partes cari mox cedo Polingi,  
Et mea persolvo talibus ora modis:  
Tu quoniam Fatis cogentibus inde recedis,  
Estquè tibi ad claros impetus ire viros:  
Spiritus cœli te deducantibus ito,  
Et claros Phœbi sospes adito lares.  
Longa nec interea nostros via mutet amores,  
Interdum curæ sit meminisse mei  
Nec pigeat posthac scriptis lenire dolorem,  
Et vitæ calamo commemorare statum.  
Terrarumq; magis quò nos sejungimur oris,  
Hoc propius iungat corda perennis Amor.  
Quod superest, Christum supplex in vota vocabo,  
Sydere ut hinc abeas ut redeasquè bono.

Eiusdem,



Spiritus ingenij, si quis fuit, occidit omnis:  
Ergo voluntatis signa relinquo tibi

*Aliud*

HENNINGI GROTOCORDIS S. P. Coll.

Quid? quod plus solito jam rura per herbida flores  
Omnigeni? quid, quod nobilis herba viret?

Quid? quod plus solito Volucres de gutture dulci  
Effundunt blando carmina grata sono?

Quid? quod plus solito reprimat Notus ipse procellas?  
Cur spirant Zephyri? clarior itque dies?

In promptu causa est, patriæ quia fama Polingus  
Florida constituit ferre per arva pedem:

Qui patris admissu modò tendit ad Albidos undas,  
Leucoræ ut videat culta Lycæa Scholæ,

Quæ studijs floret, floret profitentibus artes  
Egregias, dulci non sine fruge, viris.

O tempus lætum, quo vix est lætius ullum,  
At mihi vix unquam tristius esse potest.

O me infelicem nimium, nimiumque sodales,  
O nimium infelix foedus amicitia:

Quòd tam dilectum permittit abire sodalem,  
Quem volui his oculis plus adamare meis.

Quid de te merui? vel quid Ioachime peregi,  
Colloquio spolier quòd, Bone Amice, tuo?

F 3

Pulcer



Pulcer Apollo veta, Musæ prohibete canoræ,  
Ne patriam linquat, pulcer Apollo veta.  
Nam quid opus quod adhuc cupiat sibi præmia lau-  
Quærere Gorgoneis labra rigando vadis? (dis  
Plurima nam, doctas edoctus plenius artes,  
Imbibit à studijs non aliena suis  
Ingenium quibus instruxit, formavit & ipsos  
Mores ut possent ritè placere bonis.  
Sed reliqua ut taceam non est sine Numine Divum  
Herbas quod noscat, carmina quodq; canat.  
Quàm benè perpendit quas Falckensteinia sylva  
Herbarum species, Mons & Iberus habet?  
Nec solum externam potis est monstrare figuram,  
Nomine nec tantum quamq; vocare suo;  
Ipsi etiam illarum benè nota potentia rerum  
Et quo conveniat quælibet herba gradu.  
Dædala sicut apis stipatum floribus hortum  
Advolat & fugit mella, venena fugit;  
Ille salutiferas herbas novitq; nocentes,  
Quæ capienda docet, quæ fugienda monet,  
Verum non satis hoc, sed sicut corporis ægri  
Pharmaca, sic animo queis medeatur, habet.  
Namq; animus quantum mortali à corpore præstat,  
Tantum etiam mentis præ medicina valet.

Idcir-



Idcirco dulces audet peragrarè recessus,  
Grandeq; Parnasi scandere montis iter.  
Hic ubi castalium vatùm pater occupat antrum,  
Atque Aganippæo præsidet usque choro.  
Pollet & hinc elegis, arguto epigrammate pollet,  
Plura quid? omne genus carminis arte facit.  
Testantur socij, testantur Iulia tecta,  
Tecta Polingiaco nomine clara diu.  
Et tu quæ primum hunc agnoscis Patria vatem  
Hornburga ó vatis nomine clara novi:  
Sed quid ego hæc refero? sunt his majora canenda  
Munera, quæ docta mente Polingus habet.  
Est sua laus herbis, sua laus, mihi crede, Poësi,  
Est decus in verbis, gratia rebus inest.  
Et licet Amphion scopulos, Rhodepeius Heros  
Flumina, ligna, feras, traxerit arva Linus:  
Non tamen usus erit rerum cœlestis earum,  
Hæc quia cum mundo cuncta ruente, ruunt.  
Addictus studijs alijs idcirco Polingus  
Nutrit adhuc docto pectore majus opus.  
Non etenim parvæ peperit sibi præmia laudis  
Harmonicum viva dum facit arte melos.  
Sive facit Phrygium, sive hunc vox Lydia versat,  
Seu resonat numeris Dorica Musa suis.

Aspi-



Aspirant faciles huic blanda in carmina Musæ,  
Carmina cœlestis gaudia magna chori.  
Cum pereunt reliquæ, cunctis pereuntibus, artes,  
Sola manet cœlo Musica, sola manet  
Musica sola manet verbo conjuncta supremi  
Divino patris, cætera cuncta cadunt.  
Huic ergò sacram puris ex fontibus haustam  
Doctrinam rectè discere cura fuit.  
In primis coluit verbum cœleste docentes,  
Legit Apostolicos nocte dieq; libros.  
Audiit H E S H V S I V M Reverendum, cuius ab ore  
Dulcior æthereo nectare sermo fluit,  
Et doctum Hofmannum, quo non felicius alter  
Dogmata divino scribere sacra stylo.  
Atque duces alios morum studijq; juventæ,  
Divinos proceres, organa sancta Dei.  
Ut non doctrinam hanc tantùm sermone latino  
Reddat, de verbo disputet atque Dei.  
Verùm etiam ut Christi possit narrare decenter  
In templis populo dogmata vera rudi.  
Tantis est donis cultus, tanta arte politus,  
Ingenii munus tale Polingus habet.  
Hunc meritò avelli nobis lacrymamus amicum,  
Nulla viæ quem, ceu colligo, causa movet.

Quid



Quid loquor imprudens? fieri hoc sine principe cau-  
Causa, Deus, princeps & pia fata Dei. (sa?

Altera causa Patris monita & sententia menti,

Quæ tibi nunc stabilis fixa, Polinge, sedet.

Ergò Deo pare, & quo te trahit ille, sequaris,

Quo pater & quo mens & tua fata trahunt.

I felix comitante Deo, comitante Minerva

Adsit divinum Numen ubique tibi.

Me tua contristat quamvis discessio præceps,

Nec leve ab hac mærens cor sibi vulnus habet:

Non tamen ergò tuum frustra retinere laboro

Discessum, potius perficiatur iter.

Musæ Pierides vestrum deducite vatem,

Sistite Leucorea, vos precor, urbe meum.

Vos coluit, sacros hausitq; Heliconis honores,

Huic favet arguta Calliopæa lyra.

Et placido fovet hunc gremio crinitus Apollo,

Et tribuet propria Laureaserta manu.

Et tu Leucorei coetus Studiosa juvenus,

Hunc cole, nam multo est dignus amore coli.

Sicut Perithoum Theseus cognovit amicum,

Pro quo letheas ipse subibat aquas:

Sicut magnanimum Pylades benè novit Oresten,

Sicut Amor Nisi cognitus Euriolo.

G

Sic



Sic hunc sincero cognosces pectore amicum,  
Mens cujus penitus sæpe probata mihi est.

Salve perpetuum patriæ Ioachime poeta,  
Aeternum salve perpetuumq; vale.

Carminis ipse Auctor Clarius præstantibus ausis  
Annuet, & dextra cœpta fovebit ope.

Adjungent sese comites Heliconis alumnae,  
Nectentes placidè Laurea ferta tibi.

Et tua Phœbeis decorabunt tempora fertis:

Sic vatis nomen sic mereare novi:

Vt tandem incedas patriæ lux magna Patrisq;  
Et fias Clarij splendida fama chori.

PARODIA HORATIANA

Valentini Polingi Hornb.

*Qua patruelem suum JOACH. Polingum  
V Vitebergam ingredientem  
amicè excepit.*

Nil quod petam nunc est opus amplius,  
Detur petitis lustra frui decem:

Quam mente percepi voluptas  
Est mihi percipienda ocellis.

Scrupo



Scrupo niventem convenit hanc diem  
Signare, gressus quæ tulit huc tuos,  
Vultusq; me desiderati  
Participem, Ioachime, fecit.

Te Diva longo tempore Iulia  
Vidit, polito pectore ubi, foret  
Quodcumq; gratum, diligenter  
Attulit Heshusius sacerdos.

Novisse Musas Thespiades fuit  
Intentus ardor, nec tibi defuit  
Hofmannus ille, æterna cuius  
Nomina vesper habent et ortus,

Nunc excipit te, nominat & suum  
Civem Lycaum Leucorei soli,  
Quò floret omnis disciplina,  
Omnis & eloquij venustas.

In sancta tecum vota Deum voco,  
Vt te gubernet, protegat & nova  
Suscepta fortunet, novisq;  
Præmia digna ferat Camœnis.

Vt docta circum tempora eat tibi  
Laurus poetis debita, te graves  
Vicisse, quæ monstret, fidelis  
Nobilitate animi labores.

Fratri

145



*Fratrī suo*

Ioanni Polingo Helmstadiaē

Artib. Lib. operam danti S. P.

Mecum Deo dic gratias,  
Frater IOANNES, quòd Scholæ

Me prospero sub sydere,  
Suisq; ducens Angelis,  
Salvum dedit Vitebergicæ,

Abegit & pericula,  
Molestias, incommoda,  
Et omne quod migrantibus

Solet evenire: Nubila  
Disjecit, imbres depulit,  
Ventos repressit turbidos,  
Auram salubrem retulit.

Est hîc locus amœnissimus,  
Sunt sylvulæ, sunt flumina,  
Urbs ipsa pulcra, pulcra sunt

Augustaque Auditoria:  
Augusta templa, candido  
Exstructa templa marmore.

Mediam per urbem Rivuli  
Leni sonantes murmure

Duo



Duo fluunt, & optimas  
Præbent aquas. Sed omnia  
Ut læta sunt, sic omnia  
Sunt cariora, & nummulos  
Hic vita plures postulat.  
Status Scholæ hic est optimus,  
Corona juvenum maxima,  
Ex his bonos ego seligo,  
Mihiq; jungo Amiculos,  
Queis pectoris communico  
Decreta, queis curas meas,  
Meos dolores detego:  
Quos quæro, quos & consulo,  
Si quicquid assequi minus  
Infirma mens potest. Meas  
Vis nulla, nullum obstaculum  
Hic impedit Camœnulas.  
Longè exulat Semeleius  
A me, Venus longè exulat.  
Apollo, Pallas, Musulæ,  
Suavissimæq; Gratia  
Me muniunt & excolunt,  
Versus politos dictitant,  
Et ora nostra rivulis

G 3

Fon-



Fontis sacri proluunt.  
Accrescet hinc studium meum,  
Hinc surget olim gloria  
Mihi, parenti, patriæ.

Hic est status, Frater, meus,  
Si talis esset & tuus,  
Lætarer imo pectore.

Sed credo talem : Tu cave  
Venerem, Lyæum & oia,  
Sic annuente Numine  
Tibi cuncta cedent prosperè.

Nostri Deus conatibus  
Adsit, precor, feliciter  
Ut hos pij procedere

Cernant parentes, qui diu  
Superstites Mihi, Tibi,  
Nec non Sorori & Fratibus  
Seruentur & crescant bonis  
Animi simulq; corporis.

Hoc oro: Christus annuat,  
Et quod nequit quisquam dare,  
Det ipse, scilicet VALE.

*Witebergæ Cal. Augusti Anni 1588.*

Ad



## Ad libellum,

Sicne igitur misero miser ô Liber edite vate,  
Periculosum hoc ingredi

Audes iter? cur non magis  
Delituisse domi iuvat & fata aspera patris  
Levasse? sic pericula  
Posses cavere plurima.

Cedere sed mens est, nec te remorabor euntem:  
Prius tamen, Filiole mi,  
Præcepta Patris accipe:

Credere non tutum est: si quis risusvè jocosvè  
Ciet cave: fraudes latent,  
Latent doli, calumniæ.

Pauca refer, si multa rogat quis: Dulce labellis  
Mel insidet, sub pectore  
Fel delitescit turgidum.

Ergo cave, cunctisq; vale, non plura, precare:  
Mihil moror, vel telegant,  
Te vel tegant Nasutuli.

Epigramm



## Epigramma

IOACH. POLINGO HORN-  
burgà abeunti scriptum.

*(Quod quia seriùs allatum est, postremo loco poni oportuit,  
quod tamen priori dignum erat.)*

Quidam lascivæ detentus amore Puellæ,  
Constituit Venerem relinquere, sacra sequi.

Hinc iter ingrediens ad busta remota Iacobi,  
Hoc, ait, hoc solo Numine salvus ero.

Vix porta exierat, tacito sic corde precatur:

Sancte Iacobe trabas, sed quid Amica trabis?

Traxit uterq; quidem, sed amica retraxit euntem:

Vicit amore Venus, cessit honore Deus.

Non hac Chrysocole Vatem tenet arte Polingum,

Quam magis illa trahit, tam magis ille fugit.

Nempe piis Musis sua basia prima daturus,

Alteram, Chrysocole Virgo pudica, tibi.

Felix ille suis qui affectibus imperat intra

Corda, sed infelix qui sinit esse Duces.


Henning: Grotocordis H.

Omnia tunc bona sunt Clausula quando  
bona est.




















ULB Halle

3

001 853 031




Sb.

Barcode hängt a.  
1. angegeb. Stück, da 1. Stück nicht i. Bd.

Stk. 6a nicht erf., da  
Handschrift

12a unvollst., nicht  
erfaßt







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

[Pöling, 2: Camina]

74

Tunc vestra chartis nomina inscribam meis,  
Tradamq; seris hæc legenda posteris.

ILSIS meæ decus perenne Patriæ,  
Sylvæ beatæ, Prata, Rura & Hortuli  
Valete vestri summa vatis gaudia.  
Abire mens est: Leucoris suum mihi  
Pandit sinum, promittit & Camœnulis  
Tranquilla nostris ocia: Hîc hîc molliter

Vivam, labella fontibus purissimis,  
Qui perfluunt vireta Parnasi jugi,  
Rigabo, & artibus vacabo liberis  
Studijsq; sacris, donec id sinent, meum  
Quibus laborem consecro, pia Numina.

ILSIS meæ decus perenne Patriæ,  
Vosq; ô beatæ sylvulæ vosq; Hortuli  
Beatiores, vos VALETE & CRESCITE.

IV.

ADR. ET CL. VIRVM DN. M. IO-  
NAM NICOLAI, Pastor. Amford. &c.

Quando te Patrijs, Colende semper  
IONA NICOLAI, tui Parentis  
Post fata ultima viserem sub oris,  
Hanc nostris memini auribus sonasse

B

Vocem

124